

222. Figurarum planarum areas inquirere per latera tutius est, quàm per basin & perpendicularum.
223. Falluntur, qui aream campi cujuscunque ex quantitate laterum simul sumtorum dijudicare solent.
224. Geodæsia loca nimis à se invicem remota vix absque omni errore definit.
225. Μετὰ Γεωμετρίας εἰς ἄλλο γένος omnium optimè Geodæsia determinat.
226. Agrimensor seu Geodæta tantum differt à Geometrâ, quantum Chirurgus à Medico.
227. Regula Geodætica, quam Nobilissimus Tycho de Brahe literis Lipsiæ incumbens invenisse perhibetur, singulari laudis encomio digna est.
228. Quantò est facilius, tantò quoque est fallacius, altitudinem turris beneficiò umbræ solaris metiri.
229. Aream campi ex una statione metiri non est impossibile.
230. Mensula Prætoriana inter instrumenta Geodætica ob facilitatem suam familiam ducere videtur.

## XXIV. Oratoriæ.

231. Nisi quis Jurisprudentiæ operam navaverit, præcepta de genere Jurediciali fundamentaliter intelligere nequit.
232. Quantitatem non in sola magnitudine consistere, sed & in rebus moralibus locum habere, vel status quantitatis in genere jurediciali occurrens argumento potest esse luculentissimo.
233. Oratoria hodierna, quæ in scholis locum habere potest, totò genere diversa esse videtur à Ciceroniana.
234. Affectus seu πάθος ad Oratoriam directè non spectant.
235. Qui in Philosophia naturali & morali prius probè est versatus, nullò non negotiò totam postmodum intelligere potest Oratoriam.
236. Orator bonus neque ex exordio, neque ex propositione & confirmatione, sed ex epilogo cognoscitur.
237. Eloquentia sine multijuga rerum scientia mera est loquacitas.
238. Partes orationis simpliciter necessariae sunt Propositio & Confirmatio.
239. Progymnasmata sunt particulae ipsius artis Oratoriæ.
240. Non ultima Oratoris laus in actione consistit.

XXV. Poë-